BERNARDINUS SCOTTO MEDIOLANENSIS SACRÆ ROTÆ AUDITOR
ALMÆ URBIS GUBERNATOR ET VICECAMERARIUS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATO A SS.mo D.N. CLEM. PAPA XI
IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIX. MAIJ MDCCXV.
ET IN SIMILI CONSISTORIO PUBLICATUS
DIE XVI. DECEMBRIS EIUSDEM ANNI.

+1726

Ioh. Christoph. Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

No. XXXVII.

BERNARDINVS SCOTTVS MEDIOLANENSIS.

BErnardinus tit. S. Petri in Monte Aureo Cardinalis Scottus Mediolanensis in Hanc vitalem auram procreatus est An. 1656. 16. Oct. cui patria Mediolanum obtigit, quod sui amœnitate soli totum orbem invitavit, ut arreptis etiam armis hunc Italiæ hortum longè pulcherrimum sibi vindicarent. Credo equidem vix ullam in toto terrarum orbe urbem reperias, quæ pluribus casibus defuncta fuerit, & ita defuncta, ut semper splendidior ex cineribus renasceretur. A Gallis diu ante Christum natum ædificata, sub finem Sæculi IV. Romanis, quorum victricia per totum terrarum orbem arma circumferebantur, in potestatem cessit. Eo quidem tempore â Maximiano Herculeo, Herculea vocabatur; Herculi magnificum templum exstruebatur, quod eo loco positum erat, ubi nunc ædes S. Laurentii exstant. Temporibus S. Ambrosii ab Arrianis Urbi insidiæ struebantur; sed quidam ex vetustissimâ Tassiorum Familiâ, turrim suæ demandatam curæ, strenuè adversus irruentes tuebatur: inde Tassiorum de la Tour inclytum nomen. A. CCCCLII. ab Attila Hunnorum Rege funditus evertebatur. Vitiges Gottorum Dux, centum & quinquaginta millium exercitu Italiam ingressus, A. 539. præclaram urbem capiebat, vastabátque. A. 568. Alboinus Longobardorum Rex Mediolanum occupabat, & longo jugo premebat; nam Longobardis ducenis plusquam annis usque ad Caroli Magni tempora parebat, & Lombardiæ, â Longobardis dictæ, caput evaserat. Carolus Magnus, Desiderio ultimo Longobardorum Rege A. Christi 774. ad Ticinum capto, Urbem Mediolanensem Imperio subjiciebat. Friderici Barbarossæ temporibus, Mediolanum ad libertatem aspirabat; sed Imperator cives ferro, fame, pestilentiâ domuit: urbem etiam penitus delevit, humo sale consperſa, & terram aratro scindens, ne aliqua ædium vestigia restarent; impedire tamen non potuit, quo minùs inclyta Urbs, adamata Italis, cõmunibus Italiæ impensis reædificaretur. Postea à Carolo IV. qui regnavit ab A. 1337. ad A. 1378. Joanni Galeazio è Vice-Comitibus Mediolanensibus ejúsque posteris perpetuus Vicariatus per Lombardiam sumo Imperii detrimento concedebatur. Dictus Imperator, multis Imperii ditionibus oppignoratis, aut abalienatis, Aquilam Imperii miserè deplumaverat. Friderico Marchioni Misniæ, contra se electo Impetatori 10000. marcarum solverat, ut Imperio cederet, & post eum Gunthero SWarzenburgico Turringo 22000. marcarum, & duo oppida in Thuringiâ dederat, ut & ipse acquiesceret. Regnum Arelatense, quod complectebatur Burgundiam, Lugdunesem agrum, Delphinatum, Sabaudiam, & Provinciam, unius prandii gratiâ in villa novâ prope Avenionem Galliæ Regi tradiderat. Sedecim civitates, ad Imperium pertinentes, vicinis principibus cesserant. Ut Filium suum Wenceslaum, monstrum illud hominum, ad Imperium promoveret, cuique electorum centum florenorum millia promiserat, cúmque iis solvendis non esset, telonia Imperii abalienavit. Hinc Maximilianus Imperator dixisse fertur, quòd eò pestilentiorem pestem Germania non habuerit; Nam reditus Imperii, qui adhuc tempore Barbarossæ 60. Tonnas auri conficiebant, hodie nimiò plùs decreverunt. Wenceslaus Caroli Filius, qui totum Imperium vendidisset, modò emptorem invenisset, prædicto Joanni Galeazio Vice-Comiti, ingenti pecuniâ numeratâ, Ducatum Mediolanensem A. 1395. omnino permisit. A. 1447. postquam vita excessisset Philippus Vice-Comitum ex hac familia ultimus, sine liberis ex legitimo matrimonio natis, Mediolanenses formam Reipublicæ constituebant; inde cruentorum

rum origo bellorum enascebatur; nam Alponsus Arragonus Ducatum ad se trahebat, quod se diceret ex testamento defuncti hæredem; nec minùs Carolus Dux Aureliacensis Gallus principatum sibi vindicabat, quòd filius esset Valentinæ, quæ Soror erat hujus Philippi: Tertius Competitor accessit Franciscus Sphortia, qui connubio sibi junctam habebat Blancam Mariam Philippi filiam, quam tamen is extra matrimonium susceperat. Hic populi favore & Venetorum viribus innixus Ducatum occupabat, cujus possessio Ludovico Mariæ Sphortiæ, quem cognomento Morum dicebant, ab Imperatore Maximiliano I. stabiliebatur, ubi is quadringenta florenorum millia pro eo favore sibi impenso, Cæsari solvisset. A. 1523. Rex Galliarum Franciscus, antiqua sua jura repetens, Mediolanum invadebat, eo eventu, ut ipse cum præcipua parte nobilitatis Caroli V. Captivus fieret. Ann. 1535. Franciscus Sphortia improles decesserat; hinc Carolus V. Imperator Ducatum Philippo I. filio suo jure fiduciario transcripserat. A. 1700. Carolus II. potentissimæ per Hispaniam Austriacæ familiæ ultimus surculus, exaruit gravissimum Europæ bellum post se relinquens. Statim Ducatus Mediolanensis à Philippo V. Andegavensi occupabatur; sed ea fuerat Caroli III. (quem nunc Imperium V. nuncupat) fortuna, ut invictissimi Herois sui Eugenii forti dextrâ eum Ducatum è hostium manibus A. 1706. extorqueret. Magna igitur Sponsa, & Opulenta fuerit oportet, quæ tanto ambitu â tot procis expetebatur. Sed Huic Helenæ nunquam deerant celebratissimi per eum Ducatum Scotti, qui Vice-Comitum, Sphortiarum, Austriacorum & Gallorum variata alia post alia Regimina ita transiverant, ut intemeratæ fidei laudem ubivis retinerent; & si alicubi vela obliquanda erant, ex Sapientiæ præscriptu tempori cedebant. Enimverò rerum gestarum Gloria Gentiles suos ex integro adæquat Eminentissimus Purpuratus Bernardinus Scottus. Si Herculeam Mediolanum dicamus, Herculem Eminentissimum Scottum statuamus, qui Vitiorum Hydras, ut paulò post intelligemus, saluberrimis decretis dedomuit; si Fridericus Ænobardus, Sale disseminato, Mediolanum evertere connisus est, Sal Sapientiæ Eminentissimus Scottus est, qui saluberrimâ doctrinâ patriam condiat. Si Arriani vapulârunt sub Ambrosio, Quesnelliani Scottum acerrimum Sacræ Religionis propugnatorem senserunt. Si Carolus Magnus victricia per Lombardiam vexilla explicuit, Illustrissima Scottorum familia, quæ præclarissimos Viros Patriæ dedit, fidem per tot Sæcula intemeratam in eâ servavit. Si Galeazii & Sphortiæ Mediolanum illustrârunt; Scotti patriis contenti Dynastiis ambitiosos longè præibant. Si Carolum III. & Philippum V. venerabundo nutu Mediolanum adoravit, utrique ambidextra, & Prudentissima Scottorum Familia ex æquo satisfaciebat. A. 1711. Sacræ Rotæ Romanæ Auditor Bernardinus Scottus â Clemente XI. denominabatur: â Carolo VI. qui meritissimum Virum non vulgariter æstimabat, proponebatur. Dicasterium *della Rota Romana*, ut vocant, in maximis quibusve, per Christianum orbem super Ecclesiasticis præbendis enatis disceptationibus, discutiendis allaborat. Gravissimi ei judicio Viri, numero duodecim ex omnibus gentibus selecti præsident. Ex Germanus Unus, Unus ex Gallis, ex Hispanis duo, octo ex Italis assumuntur. Sacra Roma tres, Reliquæ Urbes, Italiæ Principes, Venetiæ, Bononia, Florentiæ, Mediolanum, & Ferrara singulæ unum pro se Auditorem submittunt. Eodem tempore Bernardinus Scottus, Caffarelli loco, Gubernator Romanus, summo Pontificis in eum favore, deligebatur. Erat acri Vir ingenio, & justitiæ administrandæ expediendæ juratissimus; nullius favore in alterutram unquam deflectens partem; prout in virtutes offendebat aut vitia, Probis *Sydus benignum*, ast *Tonans Jupiter* malefactoribus. In infames mulierculas & juvenum pestes severissima Decreta pronuntiabat, eo eventu, ut eâ peste Roma, Sanctitatis Sedes, magna ex parte liberaretur. Populo in amoribus erat, cùm latrocinia, furta, & nocturnæ expilationes, hoc Catone ad clavum sedente, rarò in populosissima urbe audiren-

direntur. Quando Pestis A. 1713. Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemiâ, & Hamburgi ad Albis ostium sito grassabatur, tam ille in peregrinos in eò rerum articulo rigorosus existebat, quàm aliàs prono favore è remotis terris allatam Sapientiam reverebatur. Regina Poloniæ, Joannis Sobieskii relicta vidua, Romam transgressa, ad se venientem Gravissimum Virum, nihil cunctata, iis honoribus exceptum voluit, quos Regiis Legatis, Sarmatici Solii Regina, impendere solita. Planè Scottus insignibus animi dotibus tantus in oculis Romanæ Urbis evaserat, ut comunibus Votis obsequendum Sanctissimus Pater ratus, Sacro Purpuratorum Collegio eum A. 1715. 16. Maij annumeratum voluerit. Clementis in eum encomia gemino veluti verbo comprehendebantur, quô dixisse videbatur omnia. *Intendimus* (ajebat) *Cardinalem promulgare* (nam in Consistorio Secreto habito 29. Maij ejusdem anni reservatus fuerat) *Bernardinum Scottum Rottæ Romanæ Auditorem, almæque Urbis nostræ Gubernatorem, pari cùm JUSTITIÆ ac PRUDENTIÆ laude, utroque munere perfunctum.* Justus erat, malefactorem in tota Urbe Romana nunquam passus impunitum; prudens, nam ad ipsos etiam juris apices in judicando, ut sobriè pronuntiaret, respiciebat. A. 1717. 20. Junii in locum Fabritii Spadæ, quem mors subtraxerat, Præfectus Signaturæ Justitiæ creabatur; & justissimum tunc equidem Sacra Themis nanciscebatur Judicem, qui litium ambages abrumpit, & jus suum cuilibet ita administrat, ut etiam citò administratum intelligat. Ne egentium unquam deesset necessitatibus, Siculos Sacerdotes opum suarum impendio aluit, quos Regis Sardiniæ Ministri, Monarchiam Siciliæ recoquentes, vi cujus nimiam in Ecclesiasticos potestatem sibi arrogabant, ceu inobedientes inde expulerant; merebantur Refugi, Catholicæ Ecclesiæ Obedientes filii, ut ab Eminentissimo Purpurato Scotto, Urbem Refugii cunctis aperiente, opiparam reciperentur. Eodem anno in Ecclesia Nationali Mediolanensium, quæ Divis Ambrosio & Carolo Borromæo Sacra est, Princeps verè patrius, præficiebatur. Cùm eam primò Ecclesiam, magnifico stipatus comitatu, intraret, septem gentiles mytrati Antistites venientem excipiebant. Inde ad suum subsellium, pretiosissimo conopœo desuper pendente, deductus, Divino Officio magno pietatis sensu intererat, & præsentissimo gaudio exultabat, Patriam Mediolani sui, cui Spiritum deberet, Ecclesiam, suæ demandatam curæ, ut pro vitali aurâ, quam hauserat, multiplicato fœnore, popularibus salutem redderet. Sacro Officio ad Finem deducto, Hymnus Ambrosianus decantabatur, festa ballistarum explosione, & campanis lætè per æera concrepantibus. Postea convivio opiparam instructo, Populares Antistites adhibebantur; & ut illius dici lætitiæ geminaretur, ab Eminentissimo Purpurato Annibale Albano lætissimus nuntius aderat, qui convivanti denuntiabat, magni nominis Abbatiam, in Urbe Cremonensi, cum ditibus reditibus, Pontificis Clementis favore in eum collatam. Sed paulò post nitidissimum hoc Mediolanensium gemma pene extinctum fuisset; nam in villâ suâ suburbanâ (capracolam vocant) cùm ut ab immensis laboribus paululum respiraret, eò se contulisset, pene Spiritum amisit & vitam. Accessêre graviter decumbentem Eminentissimi Purpurati Corradinus & Albanus, & prout pene declamatum Charissimum Caput luxerant, ita restitutum sanitati, Patriæ, & Sacræ Reipublicæ necessitatibus, sincerissimo gaudio lætabantur. Postea ad Sacras Ædes Lauretanas peregrinabundus accesserat, ut Magnam ibi Matrem, tot prodigiis per Orbem celebrem, de genu veneraretur. *Sacræ illæ Ædes, in quibus Divina Virtute obumbrante, Verbum incarnatum est, ex Asiâ A. 1291 sedente Nicolao IV. Pontifice, in Europam celebratissimo per orbem miraculo, deportabantur. Nam cùm Sacrâ Palæstinâ, Christianorum Principum fœdâ discordiâ, amissa, & Turcici jugi facta fuisset, Deus Optimus Maximus, cujus Velle Posse est, in Christiani Orbis solamen, & ut perpetuum apud nos haberemus summi beneficii, à Cœlis præstiti monumentum, clementissimè ordinavit, ut prædictæ ædes, Angelorum ministerio, in æera levarentur. Quingentorum milliarium spatio traductæ, primò omnium in Illyrico consederunt; postea cùm duo fratres fundi illius domini, in Oblationes Fidelium Sacrilegas manus iniecissent, Cœlestes Genii, eam impietatem aversati, iterum succollantes, in agro Piceno, haud procul Urbe RENEGATI gratissimum Onus deposuerunt. Verùm cùm is locus, Utpote densissimâ silvâ horridus, latrociniis infestus evaderet, & pii peregrinatores, cùm salutem quærerent, mortem in Olla invenirent, Divina illa Arca, tertium innovato stupendum in modum Prodigio, sub suavissimo Angelorum psallentium concentu, in eo demum agro conquievit, quæ ad Loretam pissimam Matronam spectabat; unde inclytum ædium Lauretanarum nomen. Thesaurus, qui Europæ Principum penè Universorum Regali munificentia quadringentis abhinc annis in eas Sacras Ædes confluxit, incomparabilis est, & Divitis, ut ajunt, Regni divitias æquat. Decuit enim Cœli Reginam maximorum per Europam Thesaurorum fieri participem.* Has etiam Sacratissimas Ædes Eminentissimus noster Purpuratus largo tunc equidem Donario adauxit, ut ubi Cor ejus, Marianis ignibus exæstuans, repositum esset, Thesauru maneret.